



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Priori Et Fratribvs sanctae Crucis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

te litteras destinemus, ex rescripti nostri serie perpendere poteris evidenter. Datum Laterani XVI. Kal. Decembris.

*OMNIBVS LATINIS PRIORI ET FRATRIBVS  
tam Clericis quam laicis apud Constantinopolim constitutis.  
sanctæ Crucis.*

*Epist. 213.  
Vt Legato apostolico obtinerent.*

**Q**uam magnum sit bonum obedientiæ, quantumque ab omnibus fidelibus appetendum, ex contrario ejus evidenter apparet, cum teste Propheta peccatum ariolandi sit repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere, sitque in illos graviter vindicatum qui schisma in populo facientes, inobedientes extitere suis superioribus & rebelles. Ad hujus autem virtutis eminentiam nullus attingere poterit subditorum, nisi Prælati suis curaverit humiliter obedire. Sanè quoniam præsentiam suam non potest Romanus Pontifex omnibus exhibere, dilecto filio Magistro L. cujus virtutes & merita plenius cognovistis, vices suas apud Constantinopolim duxit sedes apostolica committendas, ut absens corpore, præsens spiritu, per ipsum, quem tanto deputavit oneri & honori, vos tanquam membra sibi capiti firmiter cõnireret. Vt igitur ei qui factus est Deo patri obediens usque ad mortem, per obedientiam placere possitis, monemus universitatem vestram & attentius exhortamur in Domino, per apostolica scripta præcipiendo mandantes, quatenus pro reverentia beati Petri & nostra præfati Magistro unanimiter intendentes, salutaria ipsius monita & præcepta teneatis firmiter & servetis, scituri quodd nos illi concessimus, ut quia communis deposcit utilitas, non obstante rescripto, si quod à bonæ memoriæ C. Papa prædecessore nostro proponitur impetratum, ad eum, quoties necesse fuerit, liberè appelletur, & ipse causas, super quibus ad eum fuerit appellatum, canonico sine decider, enormes etiam & graves excessus per censuram ecclesiasticam corrigat & castiget. Circa quem, cum sine vestra non posset injuria mendicare, in subsidiis etiam corporalibus conferendis, qui vobis spiritualia subministrat, vos esse convenit liberales; ut de bonis vobis à Deo collatis eidem in vita & morte hilariter conferentes, orationum illius sitis participes qui vicarius noster existit, & per hæc & alia bona, quæ in terris Domino inspi-

**P**ro quæstionibus gravibus & diversis, quas venerabilis frater noster Colimbriensis Episcopus adversus vos & quosdam alios religiosos habere dignoscitur, longo tempore jam elapso fuit apud Romanam Ecclesiam constitutus, sperans per censuram sedis apostolicæ finem litibus imponendum. Sed ecce desiderium ejus, facientibus vobis, in præsentiarum duci non potuit ad effectum, cum in absentia partis alterius, quantumcunque nobis grave fuerit & molestum, ad diffinitivam sententiam non duxerimus procedendum. Quamvis autem tantam inobedientiam vestram gravi possemus animadversione punire; volentes tamen regia via semper incedere, non declinantes ad dextram vel sinistram, universitati vestræ in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mandamus quatenus omni contradictione & appellatione cessante usque ad festum omnium sanctorum proxime futurum per vos ipsos, vel per sufficientes & idoneos responsales, ad nostram præsentiam accedatis, super privilegiis omnibus & libertatibus quæ à Romanis Pontificibus vel à Michaële quondam Colimbriensi Episcopo vos habere proponitis, & super aliis quæstionibus adversum vos à Colimbriensi Ecclesia intentatis, diffinitivam sententiam recepturi. Et ut veritas facilius reveletur, authentica & originalia cum Bullis suis nobis sub præmissa distinctione ad eundem terminum exhiberi præcipimus per eosdem. Interim autem vobis, sicut & alteri parti, licebit, si volueritis, alius ab his que fecistis hæcenus allegare pariter & probare coram dilectis filiis... de Alcobatia &... de Seiza Abbatibus & Fer. Menandi monacho Alcobatiæ, sedis apostolicæ delegatis; quibus super hoc nostras litteras destinamus. Sanè præfixum vobis terminum peremptorium assignamus: ad quem si venire vel mittere, sicut præmissum est, contempseritis, nos nihilominus in causa ipsa, quantum de jure poterimus, procedemus. Datum Laterani VIII. Kal. Decembris.

*Epist. 214.  
Citantur ad audiendam sententiam inter ipsos & Episcopum Colimbriensem.  
Vide supra lib. 1. epist. 222. & seqq.*

*Vide supra, epist. 332.*